76. In quadrilatero anguli inter se oppositi dicuntur, qui nullũ crus commune habent. item apices oppositi dicuntur, qui non in eodem sunt latere.

77. Si in quadrangulo ABCD ex uno parallelorum laterum DC, in alterum AB, perpendicularis ducatur EF; ipsa parallela latera, bases dicũtur; perpendicularis EF verò, altitudo quadranguli.

78. Diagonius quadranguli, ulteriusve multanguli dicitur recta, ex apice ad apicem non proximum ducta. Estq; vel interna, quæ in figuræ planum cadit; vel externa, quæ extra: ut in figura cavi termina.

79. Si ex uno eodemque puncto E diagonii AC, parallelogrammi ABCD, duæ ducantur lineæ, lateribus parallelogrãmi parallelæ, nimirum FEG, & HEI: parallelogrammũ propositum ABCD in quatuor Parallelogramma divitur, quorum duo, per quæ diagonius transit, nimirum AFEH, CGEI, diagonalia dicuntur.

80. Reliqua verò dùo DFEI, BHEG, complementa dnr

81. At sex latera (sex laterum) figura, ex diagonali, & duob⁹ complementis composita, nimirũ BCDFEH, Item BADIEG gnomon dicitur.

82. Triangulum inter duas parallelas constitutum dicitur, si in parallelarũ altera basin, in altera verticem habeat.

83. Parallelogrammum inter duas parallelas constitutum dicitur, si duorum ejus oppositorum laterum unum in unâ, alterum in altera parallelarum existat.

84. Se totis (aut totæ) congruæ figuræ dicũtur: sive figura A totaliter congrua dicitur figuræ B, si figura A, figuræ B ita applicari potest, ut omnes termini ipsi⁹ A figillatim ordine congruant in terminos ipsius B, neq; ulla pars ipsius A vel B sit non applicata alteri.

85. Per partes dicitur congrua figura A figuræ B, si figura A ex arte ita in partes secari possit, ut figura, ex iisdẽ partib⁹ aliter compositis constans, totaliter congrua sit figuræ B.

86. Figura